

J 1174





THEOLOGIAM REVELATAM

M. LAURO CARPIS





8  
36  
COMMENTATIONIS  
DE ADPLICATIONE METHODI SCIENTIFICÆ


A D

THEOLOGIAM REVELATAM  
SPECIMEN PRIMVM

AVCTORE

M. IACOBO CARPOV

ILL. GYMNASII VINAR. DIRECTORE MATH. P. P.  
REGIÆ BORVSS. ACADEMIÆ SCIENTIARVM ET LITTERARVM  
ELEGANTIORVM MEMBRO.



I E N Æ,

SVMP TIBVS VIDVÆ IOH. ADAMI MELCHIORIS MDCCLII.





# LECTORI COLENDO

S. P.

I.

*Occasio  
scripti,*

**D**e methodo scientifica ad Theologiam reuelatam adplicanda disputaturus, id mihi ante omnia negotii datum esse, existimo, vt occasionem præsentis argumenti, priusquam ad tractationem ipsam progrediar, exponam. Cum ante hos quindecim annos *Theologie Reuelata Dogmatica, methodo scientifica adornata*, Tomum primum diuulgarem, aliis notionem adplicationis methodi scientificæ ad Theologiam non gerentibus, aliis eam sinistra intelligentibus, nec ab errore illorum, qui solam rationem in Theologia reuelata ducem magistræque habent, discernentibus, adprime necessarium videbatur esse, vt genuinam indolem non tantum methodi scientificæ in se, sed maxime etiam adplicationis eiusdem ad Theologiam reuelatam exponerem; id quod feci in *præfatione libri* §. 22. seqq. At vero quemadmodum Vir S. R. CHRISTIANVS GOTTLIEB CLVGIVS, SS. Theologiæ Doct̃or, et ecclesiæ Wittembergensis Archidiaconus, tunc temporis omne meum *Systema Theologicum a capite ad calcem usque examinare, et sedibus suis conuellere atque subuertere*, sibi propositum habuit (vid. Ei. Singul. P. II. c. 4. Sent. I. anim. I. p. 96.); eodemque consilio *Singularium Theologie Carpouianæ Partem primam alteramque* anno post C. N. 1737. sequentique in manus hominum dedit: ita is doctrinam quoque, qua adplicationem methodi scientificæ ad Theologiam dilucidaueram, variis obiectionum arietibus petere (Singul. P. 2. c. 4. pag. 96. seqq.), vt ab ouo quasi ordiretur, sustinuit.

II.

## II.

Enim vero tametsi ego *partem primam Singularium Theologiae Carpositiana* discussi in *Inanibus Singularium Clugianorum*, illisque, *et auctoris institutum.* quæ Dn. Clugius de nihilo priuatiuo et de definitione mea creationis vltius excipienda habuit *Singul. P. 2. c. 2. 3.* quatenus ea philosophica erant, ita, vt adqueuerit hætenus dissentiens, satisfeci in *Elementis Theol. natur. §. 908. Sch. 2 - 14. §. 913. Sch. 2 - 11. §. 914. Sch. 3 - 4. §. 917. Sch. 2 - 6.* Theologicis quoque dubiis aduersus definitionem meam creationis in *editione altera Tomi primi Theologiae meae Reularæ* satisfaciens: tamen quæ de adplicatione methodi scientificæ ad Theologiam reuelatam scripseram, ea sine vindiciis hætenus manserunt. Nihilominus illa publice ab erroribus obiectis vindicanda erant, ne in iterata libri editione, quæ propediem foras dabitur, temere iterum Lectoribus, quæ explora sint publice, ogganire, sicque data quasi opera errores obtrudere loco veritatum viderer. Itaque propositum mihi erat, offuscias oppositas in noua præfatione denuo edendi Tomi primi systematis Theologici explodere. Sed dum manum operæ admoui, præter opinionem ita meditationes creuerunt, vt modum præfaminis excedere mihi visæ sint. Quibus sic se habentibus, sub programmatum forma diuulgare, quæ ad vindicandam adplicationem methodi scientificæ ad Theologiam reuelatam, in *præfatione Tomi primi systematis Theologici* adfertam, pertinent, vanitatemque eorum, quæ iis opposita fuerunt, manifestam facere Lectoribus, apud animum constitui.

## III.

Quod dum iam opus adgredior, de ipsius methodi scientificæ ingenio, eiusque ad Theologiam reuelatam adplicatione perspicuitatis causa quædam præmittenda sunt. Nimirum omnis propositio, quatenus ex illa cognoscitur propositio alia, dicitur *principium cognoscendi* (puta: complexum). Speciatim *principia cognoscendi euidentia* vel *indubia* vocantur, quorum veritas per se constat. Talia vero in Philosophia atque Mathesi esse tantum *definitiones*, i. e. notiones completas, verbis expressas; *axiomata*, siue ea dicas propositiones theoreticas, ex vnica definitione deriuatas, siue propositiones identicas, et ex ipsis terminis euidentes; *postulata*, i. e. propositiones practicas, ex vnica definitione deriuatas; denique *experientias*, i. e. propositiones, quarum veritas per sensus constat, in præceptis Logicis demonstrandum est. Habes hæc, Lector, obseruata Theol. Reu. Dogm. T. I. præf. §. 24.

## IV.

*Demonstratio quid et quotuplex?*

Quaecunque *deriuatio conclusionis* ex principiis cognoscendi consentanea est regulis Logicis, quas sana ratio docet, illa *legitima* adpellanda venit. Sed *demonstrare* in Logica idem est, ac ex principiis cognoscendi indubiis legitime dogmata deriuare. Ex quo adparet, duo esse demonstrationis essentialia, principia cognoscendi indubiis, et modum concludendi legitimum. Quæ quia locum habere possunt tam in syllogismo vnico, modo ambæ eius præmissæ sint principia cognoscendi euidentia, quam in ratiocinatione polysyllogistica, si syllogismi principalis præmissæ per syllogismos vsque ad euidentia principia cognoscendi probentur: demonstratio non minus vnico syllogismo interdum absoluti, quam per ratiocinationem polysyllogisticam pro re nata fieri potest. Quia vero, præcipue in ratiocinatione polysyllogistica, æque licet a principiis cognoscendi euidentibus ad conclusiones progredi, ac a conclusione ad principia cognoscendi euidentia regredi, sit inde, vt prioritate *demonstrationem syntheticam*, posteriori *analyticam* habeas.

## V.

*Methodus et speciatim demonstratiua quid?*

*Methodus* generatim mihi est propositionum ordo. Methodi igitur atque demonstrationis notionibus coniunctis, *methodus demonstratiua* est talis doctrinarum ordo, vt ex principiis cognoscendi indubiis ea legitime deriuentur. Quia vero in integris disciplinis a principiis cognoscendi ad conclusiones progressus fieri debet, siquidem hæ, nisi cognitæ ante principiis, concipi nequeunt, hoc quoque methodus demonstratiua, secundum quam disciplinas conuenit tractare, inuoluit, vt principia conclusionibus semper præmittantur, et ita nexus veritatum a primis quasi radicibus ante oculos ponatur, h e vt sit synthetica (§. 4.). Bene de hoc scripsit b. Weigel in *Analyti* sect. 3. membr. 2. c. 13. §. 29. p. 277: *quod ad ipsius scientie methodum essentialem attinet, vel me tacente, quiuis intelligit, absurdum esse, e quos iungere post remonem, h. e. ab ignotioribus ad notiora, vel vt clarius dicam, methodo ceu vulgo dicitur analytica (qua tamen sensu Aristotelico nihil minus est quam analytica) a principiatis ad principia progredi; ita notandum est, vnicam scientiarum tradendarum esse viam essentialem, vnicam methodum, quam siue syntheticam dicas, siue alio quocunque nomine velis insignire, perinde est, modo scias, a principiis ad principiata semper esse progrediendum, vt in architectonicis a fundamento ad parietes, ab his ad tectum, cet. Conf. etiam Theol. Reuel. Dogm. T. I. præf. §. 23.*

VI.



## VI.

Quisquis rem ita cognoscit, ut eam usque ad principia cognoscendi evidentiâ confirmare queat, is eam *scire* dicitur. Cum igitur quodcumque methodo demonstratiua propositum est, id sit tale, ut ad principia cognoscendi evidentiâ usque confirmare queas (§. 5.), methodum demonstratiuam parere scientiam in mente cognoscentis, in aperto est. Quæ est causa, cur *methodus demonstratiua scientifica* nomine veniat.

*Methodus demonstratiua cur dicatur scientifica?*

## VII.

Haud perfunctorie autem hoc loco tenenda est diversitas methodi demonstratiuæ a *systematica*. Quamvis enim utræque in eo conveniant, quod ex præmissis cognoscendi principiis deriuentur conclusiones, quæ derivatio etiam utrinque legitima esse potest, discrimen tamen principiorum est. Methodus enim demonstratiua non nisi evidentiâ admittit cognoscendi principia (§. 5.), sed *systematicæ* nec falsa, nec dubia repugnant. Ex quo fit, ut per methodum demonstratiuam semper veritates eruantur; per *systematicam* vero errores in nexu proponi, non repugnet. Nam ex principiis veris per rectum concludendi modum (quæ sunt propria methodi demonstratiuæ §. 5.) nil, nisi quod verum est, potest proficisci; at vero ubi principiis veris falsa dubiæ admiscuntur (quod quidem in *systematica* methodo fieri, non repugnat), ibi conclusiones falsas dubiæ prodire posse, nemo dubitabit. Exempli gratia methodi *systematicæ*, in erroribus adhibitæ, habes in *systematibus* Pharisæorum et Sadducæorum (Theol. Reu. Dogm. T. I. §. 101. 104. Ed. 2.) Hæc vero methodi demonstratiuæ atque *systematicæ* diversitas notanda est aduersus illos eruditorum, qui *methodum demonstratiuam adhiberi posse, ubi ab omni aberratur veritate*, dicunt. Quin potius enim hæc opinio a veritate aberrat, dum methodus demonstratiua et *systematica* per illam confunduntur.

*Methodi demonstratiuæ diversitas a systematica.*

## VIII.

Neque vero hoc loco reticebo differentiam *methodi scientificæ* Formam methodi scientificæ quoad formam internam solam, et formam internam, cum externa coniunctam. Habes eius formam internam tantum, si iis satisfiat, quæ indicavi antea (§. 5.). Sed forma huius methodi interna cum externa coniuncta est, si, seruata principiorum evidentiâ, seruato modo concludendi legitimo, seruato etiam ordine propositionum debito, collibet

propositioni adscribatur titulus, indicans classẽ propositionum, ad quam illa pertineat. Scilicet ratione methodi, quidquid in disciplina scientificè tractata proponitur, illud est vel definitio, vel axioma, vel postulatum, vel experientia, vel theorema, vel problema, vel corollarium, vel scholion; quibus accedunt hypotheses atque lemmata; quorum omnium definitiones ex Logica, quæ methodum exponit mathematicam, petendæ sunt. Quodsi igitur præter formam methodi scientificæ internam cuilibet propositioni adscribatur, sitne definitio? an axioma? an theorema? cer. habes simul formam methodi scientificæ externam. Quemadmodum vero titulus, propositionibus adscriptus, meditationem quidem in qualibet propositione, secundum regulas suas examinanda, iuuat, sed ad veritatem atque firmitatem propositionis nil confert: sic ex aduerso omisso tituli nil demit veritati atque firmitati propositionis, si hæc vel per se euident, vel legitime demonstrata sit. Quæ est causa, cur, licet non adhibita forma demonstrationis externa, tamen methodus scientifica locum habere atque prædicari queat, modo forma eius interna rite seruata fuerit. E contrario ultra mangonum litteratorum sortem non ascendere, qui sola forma methodi scientificæ externa faciunt Lectori imperito, superuacuum videtur esse, vt moneam.

## IX.

*Principia  
demonstrandi  
indubia  
in Theologia  
reuelata  
que?*

In Theologia Reuelata iisdem principiis cognoscendi indubiis, quibus in Philosophia et Mathesi vtimur, puta, definitionibus, axiomaticis cum postulatis, experientiisque, locus est; quemadmodum id ostendi Theol. Reu. T. I. præf. §. 24. seqq. et in hac ipsa Commentatione suo loco vberius vindicaturus sum; nihilominus vero illis nouum genus principiorum cognoscendi euidentium accedit. Effata intelligo sacrae scripturæ, quorum sensus perspicuus, neque ambiguitatibus obnoxius, aut certe secundum regulas hermeneuticas recte ostensus est. Nam quatenus ex omni effato scripturæ sacrae conclusiones deriuari possunt (Th. Reu. T. I. §. 225), eatenus illud potest principium cognoscendi esse (§. 3.). Quatenus autem, posita sacrae scripturæ origine diuina, quæ poni debet (Th. Reu. T. I. §. 112. seqq.), veritas effatorum scripturæ sacrae per se constat, puta, ex summa veracitate diuina (El. Theol. natural. §. 662. 667.), eatenus effata scripturæ sacrae, modo sensus eorum perspicuus sit, sunt principia cognoscendi indubia (§. 3.).

Ni-

Nimirum veluti in Philosophia et Mathesi applicata experientia ob testimonium sensuum sunt principium cognoscendi indubium, licet forte determinatio prædicati ex notione subiecti non constet: ita in Theologia reuelata recte effata Scripturæ perspicua, licet in iis determinatio prædicati ex notione subiecti non adpareat, tamen sunt principium indubium cognoscendi propter auctoritatem Dei, fallere atque falli nefciji. Est autem hoc principiorum cognoscendi indubiorum genus reliquis supra dictis in Theologia Reuelata addendum, quia in hac interdum effatum Scripturæ, quod non est definitio, nec axioma (puta, secundum notionem datam §. 3.), nec postulatum, nec experientia, fieri debet principium conclusionum Theologicarum inferendarum.

X.

Veritatum Theologicarum atque reuelatarum aut rationes sunt, aut non sunt. Si non esse dicas, pugnas contra principium rationis sufficientis, vi cuius, quidquid est, non potest sine sui ratione esse; pugnas contra experientiam, dum ipsa lectio Scripturæ sacræ, adsertionum reuelatarum rationes sæpe in illa datas esse, te potest certiore facere; pugnas contra perfectionem atque veracitatem Dei, quia, dum veritatem a figmento distinguimus hoc ipso, quod illa rationem sui habeat, hoc non habeat, dicto, quod veritates a Deo reuelatæ sint sine rationibus, figmenta pro veritatibus Deum homini obrufisse, dicis; quod quam indignum sit Deo, disputatione non indiget. Itaque esse rationes veritatum Theologicarum et reuelatarum, fatendum est; id quod aliis quoque argumentis confirmaui Th. Rev. T. II. præf. §. 9. Si sunt autem, nexus est veritatum reuelatarum, siquidem *connexa* dicuntur, quorum vnum rationem sui in altero habet. Denique si nexus est veritatum reuelatarum, tam analytice a conclusione Theologica ad principia regressus fieri, quam synthetice ex vna propositione Theologica altera, et ex hac alia, et sic porro deriuari potest. Quin etiam quia nexus veritatum est *ratio obiectiue sumpta*, ostenso veritatum reuelatarum nexu, rationem illis inesse, elucet.

XI.

Non alienum est, hic loci enarrare exprobrationem Celsi Epicurei aduersus religionem Christianam, quam Origenes *contra Celsum* l. I, *Consensus.* p. 8. 9. edit. Hæschel. sic retulit: *Deinde adhortatur (Celsus), vt ratio-*

rationis ductum sequendo accipiamus dogmata, alioqui omnino fore, ut decipiamur, si assentiamus temere. Et eos qui sine ratione sunt creduli, similes ait his, qui delectantur circulatoribus prestigatoribusque mitibracisque et sabadiis, aut quibuscunque Elocates spectris aliorumue demonum. Sicut enim illius generis homines scelesti plerumque illudentes simplici vulgo ducunt cum quacunque libet, iidem aut apud Christianos solere fieri. Addit, quosdam ex his ne velle quidem rationem fidei vel reddere vel accipere, usurpareque illud dictum: Ne examina, sed crede, et, Fides tua seruabit te, solereque dicere: Mala res est mundana sapientia, bona vero stultitia. Quibus verbis hoc nomine suspectam reddere voluit religionem Christianam, quod dogmatum illius nullæ rationes dentur, nullusque inter illa nexus intercedat, Christianis fidem simplicem tantum, ut alii plani, postulantes. Quam criminationem dispulsurus Origenes l. c. optime quidem defendit, Christianos simplices, aliis que negotiis distractos, recte credere Deo reuelanti, et credentibus conducibilis esse, sine ampliori disquisitione credere poenas peccatorum et bene gestorum præmia, sicque mores corrigere, quam auersari nudam credulitatem et immanere moribus pristinis, donec se contemplationi doctrinæ dederint; at nihilominus in principio vindictarum ponit: Si possibile esset, omnes homines, relictiis vite curis, vacare philosophiæ, nemini alia via insistenda esset præter solam hanc (religionis Christianæ). Inuenietur enim in Christianismo non minor (ne quid dicam arrogantius) fide ratio. Græce p. 9: εὐπεθέστει γὰρ ἐν τῷ χριστιανισμῷ ἐκ ἐλάττω, ἵνα μὴ Φαρμακὸν τι εἴπω, ἐξέτασις τῶν πεποιημένων, quod stricte sic vertendum est: inuenietur in Christianismo non minor, ne quid arrogantius dicam, perscrutatio rerum creditarum, puta, quam in philosophiâ, quippe cuius paulo ante mentio facta erat. Hoc vero si ita est, ex mente Origenis veritatum religionis Christianæ non minus est nexus, quam philosophiæ; ab iis vero tantum perspicendus, qui totos se huic studio emancipant. Et quid multa? Petrus, Christianos semper paratos esse, postulat 1 Ep. III. 15, πρὸς ἀπολογίαν παντὶ τῷ αἰνῶντι ... λόγον, i. e. rationem de spe, quæ in nobis est, h. e. de spe salutis æternæ. Quia autem ratio huius spei est in veritatibus reuelatis, in aliis quidem propius, in aliis remotius, apologia danda rationes ipsarum religionis Christianæ veritatum non sane excludit, sed potius includit. Taceo

Pau-

M C

Paulum, τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως urgentem Rom. XII. 6, quippe quam omnes de consensu & nexu veritatum reuelatarum interpretantur.

XII.

His ostensis, difficile demonstratu non est, Theologiam reuelatam methodo scientifica tradi posse. Concludo enim sic:

*Methodus  
scientifica  
potest ad  
Theologiam  
reuelatam  
applicari.*

Si Theologia reuelata methodo scientifica tradi nequit, sequitur, vt aut ei desint principia cognoscendi indubia, ex quibus concludatur; aut vt modus concludendi legitimus in ea locum habere nequeat; aut vt veritates illius hoc ordine disponi nequeant, vt præcedentia faciant ad sequentia intelligenda et concipienda, h. e. vt principia conclusionibus præmittantur;

cuius consequentiæ veritas ex iis, quæ methodi scientificæ propria esse docui (§. 5.), adparet.

Sed falsum est 1) in Theologia reuelata deesse principia cognoscendi indubia, quia definitiones, axiomata, postulata, experientia et effata Scripturæ sacræ clara, aut quorum sensus ex regulis hermeneuticis rite ostensus est, tanquam eiusmodi principia cognoscendi, adsunt (§. 9.).

2) falsum est, in Theologia Reuelata locum non habere posse modum concludendi legitimum. Nam propter nexum veritatum Theologicarum vna ex altera deriuari vel concludi potest (§. 10. II.); idque fieri posse legitime, h. e. secundum easdem regulas Logicas, quibus utimur in Philosophia et Mathesi, quasque sana ratio docet (§. 4.), ipso experimento facile quilibet intelligit.

3) falsum est, veritates Theologiæ reuelatæ ita disponi non posse, vt principia præmittantur conclusionibus. Nulla enim adest causa, quæ huic veritatum dispositioni obstat; quia ordinatio propositionum in quacunque re in facultate proponentis posita est.

E. falsum est antecedens.

E. Theologia Reuelata methodo scientifica tradi potest.

Et quia qui Theologiam Reuelatam hac methodo tradit, ille *methodum scientificam ad Theologiam Reuelatam applicare* dicitur, conficitur inde porro, vt *methodus scientifica* queat ad Theologiam reuelatam applicari.

## XIII.

*quod adpa-  
ret etiam a  
posteriori.* Et quid operosa opus est demonstratione? Ab esse ad posse esse consequentiam valere, veritas est exploratissima. Enim vero qua metho-  
do scientifica Theologiam reuelatam proponi posse, in Th. Reu. T. I. praf. §. 21. seqq. et in praesentia (§. 12.) docui, eadem illam conscripsi atque foras dedi ita, vt sola N. T. oeconomia diuulganda superfit. Noli autem postulare, Lector, argumento me confirmare, quod Theologia reuelata methodo ista a me conscripta sit. Nam ipsa systematis mei lectio, ea vero non fugitiua, aut perfunctoria, sed summa cum *accuracy* et secundum regulas Logicas instituta, eius te certio-  
riorem faciat, necesse est. Eadem te enim, dogmata Theologica e talibus cognoscendi principiis, qualia antea indicaui, rite a me deriuata, et tali ordine, vt praecedentia faciunt ad sequentia intelligenda, disposita esse, docebit. Fatendum est igitur, fieri posse, vt Theologia reuelata methodo scientifica proponatur.

## XIV.

*Monita.*

Neque audiendus est, qui sibi persuadet, ad Theologiam reuelatam methodo scientifica pertractandam opus esse, vt cuilibet propositioni titulus adscribatur. Nam formam methodi scientificae internam locum habere posse sine externa, obseruatum est (§. 8.); ne dicam, quemlibet Logicae atque methodi scientificae peritum suo Marte quamlibet propositionem ad classem suam referre, tituloque debito ornare posse, si velit. Neque tibi persuadeas, velim, methodi demonstratiuae esse, vt syllogismi semper perfecte secundum formam Logicam scribantur. Sufficit enim, illos adesse. Adsunt autem, licet alterutra tantum praemissa distincte posita, loco alterius autem locus excitatus sit, in quo legitur. Relinquitur enim plerumque lectori, vt formam Logicam syllogismo det, vtque ex paragrapho excitata aut praemissam syllogismi omis-  
sam, aut posita confirmationem vel declarationem quærat.

## XV.

*Utilitates  
adplicationis  
methodi  
scientificae  
ad Theolo-  
giam reue-  
latam.*

Fallitur etiam, quisquis sibi persuadet, ad inanes argutias vanasque subtilitates pertinere istam, Theologiam reuelatam proponendi, metho-  
dum scientificam. Ex aduerso enim illius ad Theologiam reuelatam adplicationem *ad cognitionem cum distinctam, tum solidam veritatum salutarium, et præter euidentiam verborum ad euidentiam rerum in Theo-*

*Theologia, ubi fieri potest, acquirendam conducere, adeoque ad intensum cognitionis salutaris augmentum facere, facere etiam ad nexum veritatum salutarium, h. e. ad analogiam fidei, quam orget apostolus Rom. XII. 6, distincte concipiendam, facere denique ad controuersias Theologicas componendas ita, vt pars errans non adquirecere nequeat, certe non habeat, quod cum ratione opponat porro, luculentissime demonstrauit Th. Reu. T. II. præf. §. 12-16. Adde, quod per rationem Theologiam reuelatam tractandi scientificam exprobrationes Celsi Epicurei aliorumque similibus, in religione Christiana rationes adferentium nullas dari, eamque adeo circulatorum figmentis similem esse (§. II.), obstruantur, et ex aduerso ratio obiectiue lumpa, quæ veritatibus reuelatis inest (§. 10.), in apicem ponatur; quemadmodum idem docuit Theol. Reu. T. I. præf. §. 32-33. Taceo vtilitates alias, quales sunt, quod longe facilius connexæ, quam disruptæ, veritates menti inhæreant; quodque scientificæ tractata Theologia reuelata non minus mentem discantis acuat, quam mathesis cet.*

## XVI.

Tangenda est etiam h. l. quæstio: *an methodus scientifica, ad Theologiam reuelatam applicata, gignat cognitionem certam veritatum Theologicarum?* Negant hoc enim quidam, quia *fundamentum certitudinis non in ordine tradendi, sed in principiis veritatum querendum sit.* At vero quia methodus demonstratiua non solum tradendi ordinem modumque inferendi rectum, sed ante omnia quoque principia euidenter vera inuoluit et requirit (§. 5.), omnino methodus scientifica parit cognitionem certam. Colligo enim rationes sic: quidquid talem gignit cognitionem, vt oppositum propositionis non posse locum habere, intelligamus, illud gignit cognitionem certam; quia *certa nobis est cognitio*, vbi oppositum rei non posse locum habere, vel rem aliter se habere non posse, intelligimus. Atqui methodus scientifica gignit eiusmodi cognitionem, vt oppositum propositionis non posse locum habere, intelligamus. Nam in doctrina, secundum methodum scientificam proposita, nec principia cognoscendi aliter se habere possunt, quia sunt euidencia, nec modus concludendi, quia est legitimus et necessarius; ex quo fit, vt conclusionem quoque aliter se habere non posse, vel eius contrarium non posse locum habere, intelligamus; nisi forte, saluis principiis et concludendi modo, conclusionem negari posse, absur-

*An methodus scientifica in Theologia det cognitionem certam?*

diffime arbitreris. Ergo cognitio est certa, quam methodus scientifica gignit. Quod si generatim verum est, fieri non potest, quin speciatim in Theologia reuelata quoque applicatio methodi scientificæ cognitionem certam pariat, nisi, iterum contra rationem rectam, a genere ad speciem consequentiam valere, neges. At hoc si quis, ais, velit adfirmare, idem est ac si fauceat naturalismo siue rationalismo, simulque pelagianismo. Gratia diuina eaque illuminans vt accedat, necesse est. Diuinitas quæ sunt coniuncta. Gratia illuminans se exferat per verbum diuinum, eoque comprehensas veritates reuelatas (Th. Reu. T. II. §. 729). Quid impediatur igitur, quo minus se exferat per easdem veritates ita propositas, vt ex euentibus principiis legitime deriuentur? Errorum dictorum autem notiones admodum obscuras gerat, necesse est, qui illorum euitandorum causa docendum esse, quod, positis principiis cognoscendi euidenter veris, positoque modo concludendi legitimo, conclusio tamen dubia esse queat, inuita ratione sana sibi persuadet. Hoc ipsum enim dicit, qui methodum scientificam parere cognitionem certam, inficiatur.

## XVII.

*Modus probandi dogmata Theologica duplex.*

Quamuis autem applicationem methodi scientificæ ad Theologiam reuelatam defendam, non tamen hæc mea mens est, veritates Theologicas alia methodo proponi non posse, aut debere. Aliud enim est, proponere sic dogmata Theologica, vt cum veritate nexus eorum realis vna ante oculos ponatur, atque determinatio prædicati ex notione subiecti ostendatur; aliud, adquiescere in veritate eorum ostendenda. Prius si tibi propositum habeas, methodo vtaris scientificæ, necesse est. Secundum hanc enim e principiis suis conclusiones theologicas, necesse est. Si vero adquiescas in eo, vt veritas tantum dogmatum theologico-rum ostendatur, sufficit, propositioni theologicæ addere locum Scripturæ, in quo illa vel *κατὰ τὸ πνεῦμα* legatur, vel ex quo vnico syllogismo confici queat. Nam *τὸ πνεῦμα* Scripturæ sacræ pariter, ac quod inde recte sequitur, verum est (Th. Reu. T. I. §. 222. 227.). Atque hæc posterior est illa, dogmata Theologica probandi, ratio, quæ in systematicis compendiisque theologis plerumque deprehendi solet. De utroque autem dogmata theologica probandi modo conferat Lector, quæ scripsi Th. Reu. T. I. §. 408. Sch. 2.

## XVIII.



## XVIII.

His ante positis, sequitur, vt, quemadmodum animum induxi (S. 2.), quæ a Dn. Clugio opposita fuerunt *Singul. Theologie Carpou. tum eorum.* P. II. c. 4. p. 96. seqq., discutiam. Placuit autem illi, quæ carpenda *quæ auctori* habuit, tribus *sententiis* complecti, quarum est prima: *Singulare est, opposita sus-* quod Dn. Carpouius *Theologiam reuelatam, methodo scientifica ador-* natam, promittat l. c. pag. 96; altera: *Singularis est ordo, quem* Dn. Carpouius *in locis Theologicis, inter se coagmentandis, tenet* l. c. pag. 121; tertia: *Singulare maxime est, quod Dn. Carpouius* quatuor res theologicas cognoscendi demonstrandi que constituat *princi-* pia, in iisque dictis *Scripturæ sacræ* vltimum demum locum concedat l. c. p. 141. De quibus omnibus sic disputabo, vt, missis alienis, eorum præcipue, quæ mihi opponuntur, et alicuius momenti sunt (de ineptiis enim disputare, quid iuvat?), rationem habeam. Quod igitur ad primum locum attinet, in eo pariter tria conficienda sibi proposuit Dn. Clugius, sc. vt primo, *Theologiam reuelatam methodo scientifica, sensu* quidem Carpouiano, proponi non posse, demonstret; deinde vt, nec *methodo scientifica et demonstratiua Theologiam reuelatam a me ador-* natam esse, ostendat; denique vt, *eandem methodum, in Theologia* reuelata adhibitam, cognitionem rerum Theologicarum impedire magis *et obscurare, quam adiuuare et promouere, doceat* l. c. S. 4. p. 101. Quæ omnia quam firmo stent talo, videndum est.

## XIX.

Quemadmodum ego, Theologiam reuelatam methodo scientifica, meo quidem, i. e. recto et genuino, sensu, proponi posse, ex ipso *An sublimi-* methodi scientifica ingenio natura que demonstraui (S. 12.); quæ salua *tas Theolo-* erit demonstratio, donec aut principia eius subuertantur, aut formæ *gia reuelata* vitium ostendatur, id quod nunquam fieri poterit: ita ex aduerso Dn. *imprædiat,* Clugius, argumenti vim non perspicuus, aliunde conquisitis ratiocinatio- *eam methodo* nis demonstraturus est (si Diis placet), *Theologiam reuelatam methodo* scientifica, meo quidem sensu, proponi non posse; id quod primum est *tradi?* disceptationis argumentum speciale (§ 17.). Quæ sunt igitur demon- *strations perhibita fundamenta?* Prouocat primo ad *Theologia* reuelata præ omnibus scientiis dignitatem, sanctitatem et sublimitatem, *quam doceat* quam doceat eius origo, obiectum, finis, concludens, vt copiose dicta *in artum atque in formam redigam, sic* l. c. p. 101. §. 5.

*Si Theologia Reuelata scientiis reliquis dignior, sanctior, sublimior*

- 1) *ratione originis, dum pendet ex peculiari Dei reuelatione,*
- 2) *ratione obiecti, dum præcipua eius portio est cognitio Christi, in qua habemus scientiam eminentem Phil. III. 8, et præ qua sapientia humana stultitia esse videtur I Cor. I. 20. coll. II. 6. seqq.*
- 3) *ratione finis, dum eo tendit, quo ne cogitando quidem sapientissimi omnium hominum penetrare possunt, vii e. g. pax Dei, ad finem Theologiae pertinens; exsuperare dicitur ~~contra~~ vñ Phil. IV. 7: sequitur, vt illa methodo vulgari scientiarum tradi vel comprehendendi non possit.*

*Sed verum est prius. Ergo et posterius.*

**Porro:**

*Si Theologia reuelata methodo vulgari scientiarum tradi vel comprehendendi non potest, sequitur, vt methodo scientifica, meo quidem sensu, proponi nequeat.*

*Sed verum est prius ex syllogismo præcedente; ergo etiam posterius.*

Nam methodus scientifica sine dubio vulgaris scientiarum Dn. Clugio videtur esse. Verum enim vero nil hoc argumento conficitur, quoniam consequentiam prioris syllogismi nego. Nimirum si excellentia atque sublimitas veritatum Theologicarum impedimento est, quo minus illæ methodo scientifica tractari queant, eadem earum excellentia atque sublimitas efficit, vt aut in Theologia reuelata desint principia cognoscendi indubia; aut vt veritates Theologicæ rationibus destituantur, ob eamque causam vna ex altera legitime deriuari nequeat; aut vt eadem sic ordinari nequeant, vt sequentia e præcedentibus possint concipi. Nam hæc tria sunt, quæ methodum scientificam, meo quidem sensu, constituunt (§. 5.). Sed nihil illorum veritati contentaneum est (§. 9. seqq.). Ergo excellentia et sublimitas veritatum Theologicarum, eas methodo scientifica proponi, non impedit. Sed in promptu etiam habeo aliam responsonem indirectam. Dn. Clugius prioris syllogismi ponit conclusionem hanc:

*Theologia reuelata nequit tradi vel comprehendendi methodo vulgari scientiarum.*

Hac igitur adsumpta pro minore, addo maiorem:

Quæ-

Quæcunque disciplina nequit tradi vel comprehendi methodo vulgari scientiarum, illa tradi nequit methodo hac, vt primo de fine, deinde de subiecto operationis, denique de medijs agatur, quæque *analytica* solet adpellari.

Nam hanc methodum esse vulgarem scientiarum sc. practicarum, non diffitetur Disputator l. c. p. 128. Sequitur igitur conclusio:

Theologia reuelata nequit tradi vel comprehendi methodo iam dicta *analytica*.

At nihilominus Dn. Clugius, methodo illa *analytica* doceri Theologiam Reuelatam, adprobat l. c. p. 128. 129. Cum igitur sic implicite dicat, *Theologiam reuelatam tradi et comprehendi posse methodo vulgari scientiarum*, id quod antea negauerat explicite, cum se ipso prius in gratiam redeat, quam mihi dicam scribat, velim.

## XX.

Pergit disputando Dn. Clugius l. c. §. 6. p. 102. seq.

*Quæcunque discipline non sunt eiusdem natura et indolis, in illis una eademque methodus adhiberi nequit.*

*Sed Theologia Reuelata et alie scientie non sunt eiusdem nature et indolis. Differunt enim 1) principio, quod in scientiis ratio est, h. e. principia natura nota ex ratione vel ope sensuum, in Theologia Reuelata auctoritas diuina;*

- 2) subiecto, quod in scientia rerum est necessariorum et vniuersalium maxime, in Theologia reuelata est rerum singularium, et contingentium pariter ac necessariorum;
- 3) forma. Nam scientia est cognitio euidens et perfecta. Euidens autem dicitur id, a quo dissentire non possumus, perceptis vocalibus et rationibus, quæ ad assentiendum mouent. Talis euidens non datur in Theologia reuelata, quippe quæ credenda, et propter auctoritatem dicentis fide digna, tradit, non, quæ ex rationibus, natura notis, euidenti quadam ratione cognoscuntur.
- 4) fine. Nam scientie finis est mera contemplatio, Theologie autem operatio vel praxis.

*Ergo in Theologia Reuelata atque scientiis non potest una eademque methodus adhiberi.*

*Ergo Theologia Reuelata non potest methodo demonstratiua, quippe qua in alijs scientiis vrimur, tractari.*

At

*An indolis eius, ab alijs scientiis diuersa, id impediatur?*

At vero huius argumenti nego maiorem. Quid enim? Ius naturæ, Geometria atque Theologia naturalis diuersæ indolis atque naturæ disciplinæ sunt, quippe prima iustum et iniustum naturale in actionibus hominum liberis determinat; altera agit de metiendis quantitibus finitis continuis, tertia proponit Deum cum infinitis, quas habet, perfectionibus. At non impediendo illo, vna eademque methodo, eaque demonstratiua, tractantur, certe a Philosophis atque Mathematicis accuratioribus. Ergo maior argumenti falsa sit, necesse est. At vero in mentem forte cuiquam veniat, ius naturæ, Geometriam et Theologiam naturalem esse disciplinas eiusdem naturæ et indolis, quatenus in omnibus adsint principia cognoscendi indubia, definitiones, axiomata, experientia, nec non modus concludendi legitimus, talisque propositionum dispositio, ut principia conclusionibus præmittantur. Totum hoc, quidquid est, possum admittere, sed ita, ut Disputator simul causa cadat. Hoc sensu enim Theologia Reuelata etiam atque aliarum scientiarum sunt eiusdem naturæ atque indolis, quod, veluti in aliis disciplinis adsunt principia cognoscendi indubia, ex iisque non tantum legitime concludi potest, sed etiam propositiones ita disponi queunt, ut principia conclusionibus præmittantur: sic Theologia reuelata pariter gaudeat principiis cognoscendi et demonstrandi eidentibus, neque minus legitimus concludendi modus, et recta veritatum dispositio in illa locum habere queant. Stramineum igitur argumentum est, quod, igne examinis adnoto, in sumum abit, licet reliqua, quæ moneri possent, prætermittam.

## XXI.

*An Theologia reuelata methodo scientifica eradi nequeat, quia inventores huius illius rationem non habuerunt?*

Sequitur argumentum tertium l. c. §. 7. p. 103:

*Cuiuscunque disciplinæ nullam rationem habuerunt illi, qui de methodo præcipere instituerunt, ad eam ipsam præceptiones de methodo non tuto satis adplicatur.*

*Sed Theologiæ Reuelatæ nullam rationem habuerunt, qui de methodo scientifica præcipere instituerunt.*

*E. ad Theologiam reuelatam methodus scientifica minus tuto adplicatur.*

Sed ne iam de minoris veritate, quæ explorata non est, disputem, maior, quam pro auctoritate tradit Disputator, fallitur. Quemadmodum enim res multæ, hominum artificio factæ, interdum utilitates præstant, quas nunquam intendit vel prævidit artifex: sic præcepta de methodo, modo rite se habeant, adplicari queunt ad disciplinas, de quibus non cogi,

cogitavit, qui illa dedit. Quod mirum non est. Præcepta methodi enim tantum docent regulas ordinis propositionum, quæ tam generales queunt esse, vt ad propositiones cuiuscunque disciplinæ possint transferri. Nonne enim simile exemplum habemus in regulis syllogismorum, quæ tuto atque recte adhibentur in Theologia reuelata, licet primi earum auctores, philosophi Græci, Theologiæ reuelatæ nullam rationem habuerint? Fallo itaque dixit l. c. Disputator: *Minime autem, quæ ad docendas, ordinandas, demonstrandasque res, ratione cognitæ, pertinent, ita comparata esse possunt, vt æquali ratione ad Theologiam reuelatam, tanquam disciplinam, omni cognitione naturali superiorem, omni ex parte transmitti possint.* Primo enim, si non possunt omni ex parte, possunt tamen bona ex parte, et ostendendum omnino fuisset, quousque possint, vel non possint? Deinde si speciatim de methodo demonstratiua loquaris, in illa ad docendas, ordinandas, demonstrandas res pertinet, vt principia cognoscendi sint indubia, et modus concludendi legitimus, vtque propositionum talis ordo sit, vt principia conclusionibus præmittantur. Hoc vero veluti locum habet in disciplinis philosophicis, ita non minus adplicari posse ad Theologiam Reuelatam, ex toto meo systemate adparet. Denique si non licet methodum aliquam adplicare ad Theologiam, nisi constet antea, Theologiæ rationem habuisse eos, qui de methodo illa præcipere instituerunt, id quod vult Dn. Clugius: pariter non licet methodo analytica tractare Theologiam Reuelatam, nisi probetur antea, inuectores huius methodi rationem habuisse Theologiæ Reuelatæ. Sed de hoc probando non cogitavit Disputator, licet tractari Theologiam reuelatam methodo analytica, adprobet l. c. p. 128. 129. *ΚενοΦανία* igitur sunt, quæ in medium attulit.

## XXII.

Pergit Disputator l. c. §. 8. p. 103: *ipse apostolus suo nos monet exemplo, res Theologicas, non methodo scientifica, et verum philosophicarum propria, sed peculiari quadam ratione, proponendas esse; plum obster? ex quo consiciendum est, Theologiam Reuelatam methodo scientifica tractandam non esse.* Cui vero non deest, quod reponatur. Ante omnia videat Dn. Clugius se contra se ipsum disputantem, et hoc loco negata adfirmantem alibi, dum scripsit l. c. p. 124: *Qui vel vnicam epistolam Pauli ad Romanos ea, qua opus est, industria, expenderit, ille,*

ille, veritates, ab Apostolo propositas, non solum nexu, demonstrationibus conueniente, non carere, sed etiam omnem demonstrationum philosophicarum nexum multis modis superare, mecum affirmabis. Et, ipso apostolo orationi sua ἀπεδείξω, eamque omni demonstratione excelsiorem, vindicante i Cor. II. 4, quis tandem, veritates ab eo, nexu, demonstrationibus conueniente, propositas esse, negare ausit? Ita ergo Disputator noster quod hodie negauit, cras adfirmat, et vice versa, modo habeat, quod ogganniat. Ast vt verum dicam, licet ordinariæ demonstratiuam methodum non sequantur apostoli, specimen tamen demonstrationis deprehendo Rom. I. II. III, vbi, vt caput causæ tantum dicam, Paulus concludit sic:

Gentiles sunt transgressores legis diuinæ Rom. I. 28-32. Iudæi sunt transgressores legis diuinæ Rom. II. 17. seqq.

Sed omnes homines sunt vel gentiles, vel Iudæi.

E. Omnes homines sunt transgressores legis diuinæ Rom. III. 9. seqq. 23.

Sed iustus coram Deo est, qui seruat legem operibus suis Rom. II. 13.

E. Nullus hominum coram Deo iustus est (puta, per opera propria) Rom. III. 20.

Sed datur tamen iustitia coram Deo sine operibus propriis, secundum Mosen et Prophetas Rom. III. 21. IV. 1-8.

Ergo iustitia coram Deo obtinenda est per fidem et obsequium legis fidei præstitum Rom. III. 22-28.

Quod breue specimen satis ostendit, suo exemplo nos docere apostolum, in articulis fidei ex principiis euidentibus recte concludendum esse. Eo autem, quod non semper apostolus methodo scientifica usus sit, si mouere nos voluit, res Theologicas methodo rerum Philosophicarum propria proponendas non esse; non tamen inde sequitur, illum eo monere nos voluisse, res Theologicas non proponendas esse methodo demonstratiua. Nam methodus demonstratiua rerum Philosophicarum propria non est. Potest enim ad omnia illa adplicari, in quibus præfisse possunt hæc tria, principia cognoscendi euidentia, e. g. definitiones, axiomata, et experientiæ, modus legitimus concludendi, et dispositio veritatum talis, vt sequentia ex præcedentibus intelligantur. Denique

fi quando apostolus dicit, sermonem suum et prædicationem suam non fuisse in persuasibilibus humane sapientiæ verbis, sed ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυναμείως 1 Cor. II. 4, et loqui se (res diuinas) ἢ καὶ ἐν διδασκαίᾳ ἀνθρώπων ἢ σεφείας λόγοις, ἀλλ' ἐν διδασκαίᾳ πνεύματος αἰγίᾳ v. 13; Dn. Clugius autem infert inde, negare apostolum, se methodo scientifica et Philosophorum propria in tradendis rebus diuinis usum esse, Theologos autem, etiam ratione methodi habita, Pauli, non Philosophorum imitatores esse debere: a veritate hic aberrat admodum. An enim persuasibilia humane sapientiæ verba, a Paulo dicta, sunt methodus scientifica? Minime vero. Sunt argumenta, quibus species (licet vana) veritatis inest, et quibus incauti propterea facile persuaderi possunt ad sententiam amplectendam; qualia erant, quibus Philosophi Græci utebantur. Talibus se usum esse in Euangelio prædicando, negat apostolus. Quid ad hæc methodus scientifica, quæ talis est veritatum ordo, vt conuictio in mente legentis oriatur? Quæ se usum esse, his verbis apostolus nec negat, nec affirmat. Eodem vero de se testante, sermonem suum fuisse in demonstratione spiritus et potentiæ, quis hoc neget? Prædicationibus enim suis satis demonstrabat apostolus, se a Spiritu sancto illuminatum, diuinaque virtute munitum esse ad præconia euangelica miraculis confirmanda. Quam explicationem confirmat locus posterior, quippe cuius hic sensus est, quod non ingenii humani commenta prædicauerit, sed quæ a spiritu Dei edoctus fuerat. Id quod iterum contra methodum scientificam nihil facit. Sed age quæso! Qui Paulum imitari iubes in methodo (quod non exigit apostolus), cur non in eo imitaris, quod maius est, atque ad mores christianos pertinet? Nimirum Paulus, παντὶ τρώπῳ, εἴτε προφάσει, εἴτε ἀληθείᾳ Christum annuntiari, modo annuncietur, gaudebat Phil. I. 18. Hæc tunc igitur imitatio Pauli est in te, quod ferre recuses, Christum annunciarī ἀληθείᾳ, sed tantum alia methodo, ac quam imberbis didicisti? Utinam similis non esses iis, qui culicem percolant, et camelos deglutunt!

## XXIII.

Quo minus sententiam suam argumentis solide firmare potuit Dn. Clugius, eo maius porro studium ponit in testimoniis Theologorum excitandis l. c. f. 9. p. 105. At vero horum quædam obtortis tantum

C 2

Monita de  
consensu vel  
dissensu  
Theologorum.  
capitulum.

capillis huc rapiuntur; quædam non possibilitati, sed tantum necessitati, Theologiam Reuelatam methodo scientifica proponendi, obstant, adeoque iniuria huc trahuntur; quædam tamen obitent possibilitati iam dictæ, ut mera tamen testimonia humana, veritati demonstratæ non cedere nequeunt; idque eo magis, quia contraria aliorum auctoritas potest opponi. Nam Hebenstreit in Syst. Theol. præf. Eorum, inquit, qui scientiæ exquisitæ titulum, demonstrandique artificium Reuelatæ Theologie abiudicant, sententiam immane quantum accuratiori doctrinarum Theologicarum tractationi nocere, persuasus sum. Inde enim fit, ut opinionis illius sectatores præcepta Theologica homiletice verius, quam acroamaticè methodoque scientifica excolant, plausibili illa excusatione vsi, Theologiam ad scientiarum classem minime referendam, atque adeo nec demonstrationum methodique exquisitoris æque suavibi expectandam esse. Ast nosse ac perpendere illi debebant, aliam docendirationem Episcopis & Pastoribus, aliam Doctõribus Theologia academicis, illis quidem, uti B. Egidius Hunnius scite obseruat, popularem, seque totam ad rudis plebeculæ captum demittentem, his vero, cum delectam, bonisque literis et artibus vacantem iuuentutem erudiant, accuratiorem subtilioremque conuenire cet. B. Buddeus in Isagoge ad Theolog. 1. 2. c. 1. §. 17. p. 432. sic loquitur: Doctrinam sacram seu Theologiam methodo mathematica (h. e. scientifica) proponi posse, dubio caret. Nec enim quidquam obstat, quo minus, theoremate vel problemate quodam proposito, explicatis per definitiones terminis, principia quædam constituentur, ex quibus problema, seu theorema demonstretur. Id utique fieri posse, exemplo quodammodo Henr. Wideburgii, theologus quondam Helmstadiensis clarissimus, ostendit, in systemate theologia positivæ, quod Helmstadii 1698. 4. lucem adspexit publicam. Quod testimonium quidem labefactatum iuit Dn. Clugius Singular. P. II. c. 4. §. 13. p. 113, dicens, Buddeum non ipsam demonstrationem mathematicam, sed seriem et dispositionem demonstrationis mathematicæ, siue externam eius faciem, in vna vel altera propositione theologica demonstranda, respicere, censendum esse; ibique se ipsum repugnare omni ex parte nolle. At menti Buddeii contrariam esse hanc interpretationem, docet Wideburgii, ab eo allegati, exemplum, quippe qui totam Theologiam Dogmaticam libello suo breuiter complexus est; ne dicam, totam Theologiam reuelatam posse methodo mathematica



tica proponi, si possunt propositiones singulæ, siquidem illa ex his componitur. Addo alium Theologum Ienensem, Walchium, cuius in *Diss. de variis Theologiam tradendi methodis* §. 10. p. 25. hæc verba sunt: *Quodsi per demonstrationem nihil aliud intelligas, quam generatim modum quemdam, ex principiis, siue per se rei que naturam, siue Scripturæ sacræ testimonium sint certa, conclusiones formandi, variasque veritates inter se connectendi, ut adpareat, quomodo altera ad alteram se referat, theologia omnino admittit demonstrationes.* Potest adhiberi methodus demonstratiua, quæ hoc modo eadem est cum methodo synthetica cet. Et iterum p. 28: *Si per methodum mathematicam certum veritates proponendi modum, certorum terminorum usum, quibus præcipue mathematici viuunt, intelligas, ita ut exhibeas definitiones, axiomata, postulata, theoremata, ipsas demonstrationes, scholia; ut ex principiis, siue sint per se, siue per testimonium diuinum clara, deducas conclusiones, ac nexum variarum veritatum necessarium ostendas, eiusmodi modo diuiniorum doctrinam tradi posse, omni caret dubitatione. Ita et methodus mathematica eadem est cum methodo demonstratiua, et, uti hæc, modo strictè, modo late sumi potest.* Iam supra obseruatum est, methodum hanc dici mathematicam, non quod propria sit mathematicorum; sed quoniam illam mathematici inprimis sequantur; id quod rectissime dictum veritatique consentaneum est. Et quamuis hi auctores aduersus adplicationem methodi scientificæ ad Theologiam monenda quædam habuerint, v. g. quod hæc methodus adhiberi possit etiam in erroribus proponendis, quod non pariat cognitionem certam, nec euidentiã, nec faciat ad controuersias componendas, illis tamen, data occasione, satisfactum est (§. 7. 17. et Theol. Reuel. Tom. II. præfat. §. 12. 16.); quare noua discussione iam illa non indigent.

## XXIV.

Sed rumpo iam huius disceptationis filum, ut præstantiori dicendi *Natalis Serenissimi* argumento locus fiat. Instat cras auspiciatissimus dies genitilis

SERENISSIMI EXCELSISSIMI PRINCIPIS  
**FRANCISCI IOSIÆ**

DVCIS SAXONIÆ IVLIACI CLIVIÆ MONTIVM  
 ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ

LANDGRAVII THVRINGIÆ MARCHIONIS MISNIÆ COMITIS  
 PRINCIPALI DIGNITATE HENNEBERGICI COMITIS

MARCÆ ET RAVENSBERGÆ DYNASTÆ

RAVENSTEINII REL.

ORDINIS AQVILÆ ALBÆ REGII POLONICI EQVITIS

TVTORIS ET ADMINISTRATORIS TERRARVM VINARIENSIVM

SERENISSIMI IVENTVTIS PRINCIPIS

**ERNESTI AVGVSTI  
 CONSTANTINI**

DVCIS SAXONIÆ IVLIACI CLIVIÆ MONTIVM  
 ANGARIÆ WESTPHALIÆQVE REL.

PRINCIPIS ET DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI

ad quem religiose obeundum, Vinarienses et Coburgenses in certamen se quasi vocare videntur. Hi enim veluti spectatores gratiæ SERENISSIMI PRINCIPIS sunt e propinquo, sic illis pariter, licet e longinquo, ejusdem PRINCIPIS cura provida salutem et securitatem dat adeo, ut nemini fortis iniquitatem querendi causa esset, si euentus semper voluntati gratiæ responderet. Inter ceteros vero illustre Gymnasium, ad peculiarem SERENISSIMI TVTORIS et ADMINISTRATORIS indulgentiam se pertinere, lætatur, dum, licet doctores illius interdum  
 insul-

insultibus maleuolorum iniquis expositi sint, suppressi tamen eos, qui recte officio suo funguntur, sapienter administrata clementia PRINCIPIS non finit. Diem hunc igitur, PRINCEPS INDVLGENTISSIME; *Votum.* quo vita lumen adiisti primo, quanta mereris lætitia, quantaque debemus pietate, celebramus, Deumque precor immortalem nomine communi, vt TE genti non TVÆ tantum, sed et nostræ, cuius tutela et securitas salutis TVÆ iam innisa est, incolumem florentemque præstet, et quicquid ex aduerso consummata repugnet felicitati, id a TE pariter ac a tota STIRPE SERENISSIMA longissime propellat, quo TVIS pariter ac nobis diuinam clementiam celebrandi occasio nunquam deficiat.

XXV.

Sed quod quo breuius, eo sincerius iam dixi votum, eius verbosior *Oratorum* interpres futurus est discipulus bonæ spei *triga.*

IOH. ANDREAS CYRIACVS

Krautheimensis,

quippe qui, præmissa oratione Latina

*de sacrificiis Genio die natali oblati,*

diem hunc lætissimum quam sapissime PRINCIPI in salutem, in gaudium autem omnibus, quibus salus Illius curæ cordique est, redire, humillime precabitur. Huius vero in declamando sociis, fratribus germanis, laudeque dignissimis discipulis,

IOH. ZACHARIÆ SCHROETER

et

IOH. SAMVELI SCHROETER

Raspenburgensibus,

qui ambo olim quoque publice declamando sibi laudem pepererunt, cum argumenta declamationum quærerem, intra proximas ferias Cereales auditoribus, quibus adesse non graue erat, historiarum Iustini librum secundum declarans, incidebam in historiam Scytharum; qui *virtutem, quam Græci longa sapientium doctrina præceptisque philosophorum* *con-*

*consequi nequiverint, victus cultusque tenuitate et ignorantia vitiorum consequuti fuisse feruntur. Capta hinc igitur occasione, alter Latino sermone*

*victus cultusque tenuitatem, tanquam remedium virtutis,*  
alter carmine Græco

*vitiorum ignorantem, tanquam remedium virtutis.*

barbarorum istorum exemplo proponent ita, vt prior simul pro perceptæ mensæ gratuita principalis beneficio humillimas gratias agat, posterior autem nomine communi Mæcenates, Præceptores, amicos valere, in academiam cum reliquis contendens, iubeat.

## XXVI.

*Inuitatio.*

Vobis igitur, Candidati Optimi, veluti Deum abitum omniaque studia fortunare, præmiaque diligentia et virtutis largiter stato tempore dare, volo: sic mihi iam nil amplius, quam officiosissima inuitatio, superest. Accedite, quaeso, PRIMORES, accedite, MÆCENATES, accedite, ECCLESIA RV M ARTIV M QVE DOCTORES, accedite, FAVTORES nostri Musarumque, cras hora nona matutina in Gymnasio comparituri, Vestroque facili atque prompto accessu facite, vt ex præsentia Vestra desideratissima tam pietas in SERENISSIMVM PRINCIPEM, quam beneuolentia in nostrum Reipublicæ seminarium eluceat.


P. P. VINARIÆ PRIDIE NATALEM  
H. E. DIE XXIV. SEPT. MDCCLII.



Yf 117  
21








8

COMMENTATIONIS  
DE ADPLICATIONE METHODII SCIENTIFICÆ

A D  
THEOLOGIAM REVELATAM  
SPECIMEN PRIMVM

AVCTORE  
M. IACOBO CARPOV  
ILL. GYMNASII VINAR. DIRECTORE MATHEM. P. P.  
REGIÆ BORVSS. ACADEMIÆ SCIENTIARVM ET LITTERARVM  
ELEGANTIORVM MEMBRO.



I E N Æ,  
SYMPTIBVS VIDVÆ IOH. ADAMI MELCHIORIS MDCCLII.

